

agere oportere, quò minus hoc malitiosum cõ-  
tagij genus omnib<sup>9</sup> viribus, omni studio, omni  
denique cura & prouidentia arcendum extin-  
guendúmque esse conseruatores nostri sibi per-  
suadeant.

*De non admittendis in urbem  
hospitibus & peregrinis, neq<sup>3</sup>  
rebus importandis sine testi-  
monio sanitatis eius loci unde  
veniunt.*

C A P V T X.



Erumenimuerò frustra o-  
mnino suam Rempub. con-  
seruatores hac industria & di-  
ligentia curabunt, si non simi-  
lem etiam prudentiam adhi-  
buerint, in externis vel homi-  
nibus, vel rebus admittendis  
excludendisque, quando hæc calamitas passim  
gliscit, vt hoc tempore in magna ferè Germaniæ  
parte contingit. Quid enim profuerit proprias  
sordes amouisse, si alienas iterum velis admit-  
tere? Quemadmodum enim hæc est laudabilis  
medicorum industria, vt cùm prius impurum  
agro-

agrorum corpora medicamentis *κυσταρκτηκόνις*  
 expurgarunt, postea prudenter caueant, ne simi-  
 les superfluitates denuo colligant: item ne vllæ  
 in morbis reliquiæ supersint, quæ recidivas fa-  
 cere possint. Eodem quoque modo Magistratus  
 noster (quem hîc generalem medicum esse oportere  
 diximus) in vniuerso & communi Reipub.  
 corpore operam dabit, cunctisq; ordinatim pro-  
 uidebit, vt ne minimum quidẽ contagij momẽ-  
 tum, vnde noui errores, nouaque pericula me-  
 tuenda sint, admittatur, relinquaturq;: nam (vt  
 ait poeta) neglecta solent incendia sumere vires.  
 Et quis ignorat (quod iam sæpe est dictum) pestẽ  
 morbum prorsus contagiosum esse, neq; solum  
 in hominibus & pecudibus, sed etiam in rebus  
 variis, vt pannis, ferramentis, lignis, vasculis, le-  
 ctisterniis, sarcinulis, linteaminibus, mercibus,  
 supellectilibus, pecuniis, maximè autem omniũ  
 in laneis vestibus (nisi admodum cautè egeris)  
 diu inclusum posse delitescere, & data occasione  
 virus suum magna clade latè diffundere? Sicut  
 enim canis rabie infectus multos sæpe dies, imò  
 quorundam iudicio, multos sæpe menses atque  
 annos venenum suum circumfert, priusquam  
 vllam noxã sentiat: ita in hoc quoque malo ac-  
 cidere infinitis propè historiis, quas partim ipse,  
 partim alij fide digni medici obseruarũt, cõstat.  
 Memini enim superiorib<sup>9</sup> annis, quando Colo-  
 nia Agrippina atroci epidemia affligeretur, puel-  
 lam quandam celebris familiæ, vnã cum matre

*Alex. Ben.*  
*lib. 1. de pest.*  
*cap. 2.*

*Galen. 6. de*  
*loc. aff. cap.*

*Gordon de*  
*feb. part. 1.*  
*cap. 17.*

*Alex. B. n.*  
*lib. 26. cap.*  
*16.*

*Leuin. Lẽ.*  
*3 de occult.*  
*nat. mirac.*  
*cap. 5.*

& altera sorore ex vrbe fugisse, ac in alienum aere-  
 rem secedendo salutem quaesivisse: quæ quamuis  
 sana esset egressa, & in locum salubrem perue-  
 nisset, triduo tamen post, infecta & mortua est:  
 cuius nulla alia causa fuit, nisi quod venenum  
 pestiferum interea temporis quietum vel in ve-  
 stibus fugitiuarum, vel in viis cutis patentibus,  
 aut venis non adeo cordi propinquis hæserit, nec  
 eam antè grauârit, quàm cor ipsum attingeret.  
 Leuis enim & exiguus vapor est, qui non tãtam  
 cum ceteris membris, quantam cum corde ini-  
 micitiam habet. Quam ob causam Mars. Ficinus  
 non veretur affirmare, vel integrum bimestre  
 sine noxa in hominibus posse latitare. Quod si  
 verum est, vt certè verisimile est, nimis longè &  
 obscurè in influxum Saturni, Martis influentiã  
 retardantem, quidam causam hanc reiiciunt. Et  
 Bern. Cronenburgius, aliàs expertissimus me-  
 dicus, hoc modo populariùs & efficacius qui-  
 busdã obstrepētibus, & præ imperitia fugientes  
 pestifera loca culpantibus respondere potuisset,  
 quàm nescio qua prauorum humorum & inor-  
 dinati victus culpa: quibus equidem rationibus  
 febris aliqua aut leuior morbus, rarissimè autè  
 pestis oriri solet. Constat enim mihi de hac ipsa  
 virgine, ob animi eius pietatem, & Dei singula-  
 rem cognitionem & timorem, adiuncta ætatis  
 maturitate, & peculiari matris præsentis cura,  
 ea præsertim temporis constitutione, parum aut  
 nihil in victu deliquisse, neque vlla cacochymia  
 labo-

*Pestis de  
 scriptio.*

*Clemētis  
 Clementi.  
 ca. de pest.*

laborauisse. Si tamen de puella, quarum sexus  
 labilis est, id videatur difficile creditu, possem i-  
 dem affirmare de medici cuiusdam experientis-  
 simi filia simul & vxore, quæ ambæ eodem mo-  
 do, alio in loco, in quem securitatis gratia seces-  
 serant. pestilētia correptæ & mortuæ sunt, quas  
 neque victus incauta ratione, neque insalubris  
 loci natura illud venenum ibidem genuisse, sed  
 eò secum asportasse credibile est. Quòd si verò  
 nondum plenam fidem hæc facere possint, quò  
 minùs quod dico, approbare queas, adducā effi-  
 caciora etiam argumenta. Patauium Italix Cis-  
 alpinæ (quam modò Lombardiam vocant) Ve-  
 netorum dominio subiectam amplissimam ci-  
 uitatem, memini ab vno scholastico (cuius do-  
 miciliū non longè à meo distabat) qui Venetia  
 peste infectus rediit, totam ferè cõtaminatã esse.  
 Quàm sæua, atrox, & tãtũ non inusitata pesti-  
 lētia grassabatur Hamburgi ante paucos annos:  
 atqui hãc vnus hominis cõtagio, qui Dantisco  
 illuc venerat, originem suã habuisse, retulerunt  
 fide digni viri, & eius vrbs ciues. Tãdem vt do-  
 mum quoque nostram veniam, nostra quoque  
 Resp. vnus polluti hominis vitio, qui Hambur-  
 go æger ad nos deportatus fuit, eodem tẽpore,  
 adeo paucis diebus inficiebatur, vt nullus ferè  
 vicus ab illa lue esset liber: quamuis rursus tam  
 rari ea interierunt, vt nulla ex omnibus mariti-  
 mis ciuitatibus (cũ passim peste premerētur)  
 tam paucos amiserit homines: haud dubiè fin-

Anno 1556,  
 pestis Pa-  
 tauij.

Hamburgi  
 pestis, anno  
 1566.

Bremensis  
 pestis, anno  
 66.

gulari Dei clementia, & Magistratus medicorumque prudentia & industria: quæ duo Deus ipse coniuncta esse voluit, neque temerè sine hominum opera, suam opem nobis largitur. Hæc ergo de contagio per homines sparso acquisitioque sufficiant. In quibus illud maximè utile, & perquam necessarium ad cõmunem omnium tutelam esse intelleximus, si non tam temerè (quàm fieri plerumque solet) vulgus cõmisceatur, neque promiscuè pro libidine quibusvis quocunque aditus concedatur.

De rebus verò ipsis, quæ ex funestis allatæ locis contagium simul attulerunt, tam multa sese offerunt, ut dies chartaque vitium mihi defutura sint, quàm exempla, si eorum vel minimam partem velim enumerare. Omissis ergo antiquissimis, quæ propter vetustatem minùs merentur fidem apud nos: de paucis saltem, & quæ paulò ante nostram ætatem, aut hac ipsa ætate nostra cõtigere, loquamur. Refertur historia multis nota ac notatu digna: cum Verona in confinibus Italiae obsidione premeretur ab Imperatore Maximiliano, incidit in exercitum Germanorum pestis, ut plus minus duo hominum millia ea perirent. In hac strage hoc certò est compertum, viginti quinque milites vna pellicea veste ordine infectos ac mortuos esse. Nam cum vnus discederet, statim successit alter, & velut prædæ expositam ad se recepit, induitque vestem. Eaque pernicies eousque progressa est, donec à chirurgis obser-

obseruata fuit huius cladis & contagionis cau-  
 sa. Qua cognita, communi sententia in ignem  
 coniecta & exusta est verè venefica hæc pellicea,  
 & post eius suppliciū paulatim pestis remissior  
 facta est, & tandem cessauit. Alexander Benedi-  
 ctus (qui vixit anno 1493) simile quiddam nar-  
 rat, quod accidit Venetiis, his verbis: Audiui (in-  
 quit) patris mei ætate in vrbe Veneta culcitram  
 pestilentiaæ tempore suspectam, in interiorem  
 domus partem cuiusdam patritij eiectā, ac post  
 septimum annum requisitam, quam materfa-  
 miliās discuti iussit, longo enim fitu in abdito  
 loco virus vehementiūs contraxerat, quo serui  
 protinus subita peste correpti sunt. Nō dissimi-  
 lis historia, quamuis primū à persona, non re-  
 cœperit, mihi olim relata est, quam alibi verbis  
 Germanicis recitauit, habet autē sic: Anno sexa-  
 gesimo quarto, supra millesimum quingentesi-  
 mum, quando Colonia crudeliter pestifera hac  
 lue affligeretur, auriga quidam, qui quater mil-  
 le passuum istinc habitabat, fortè in urbem ali-  
 quid mercium aduexerat, ac vicissim contagiū  
 hoc (proh nocentissimum laboris præmium!)  
 domum secum retulit, & in breui tempore eo  
 occubuit. Inde elapsis sex hebdomadis (tam diu  
 enim se venenum à noxa continuerat) morie-  
 bantur eadem in domo omnes liberi, omnesq;  
 ministri, vna sola superstite manente matrefa-  
 miliās. Hoc facto iterum penè duos integros  
 menses absque omni damno substitit malum.

Sed cum res omnes saluas esse sperarent, ecce relictæ vidua dono fortè dedit vicini pauperculi filiolo sui filij defuncti interulam, qua noctu tetus puer, ac insperatò pollutus statim mortuus est vnà cum vniuersa familia, excepta rursus sola matre. Quod cum quartò eodè modo vt antè, longo tempore intermisisset, & demum ad hanc relictam viduam peregrini quidam commoratum venissent, de nouo reuixit, quod mortuum credebatur infortuniũ, ac simul omnes perdidit, eadèmq; ratione ad Ianuarium vsq; grassando perdurauit, donec hyberno tandem frigore victum ipsum quoque, non sine magna vicinorum gratulatione interiit. Addendum & aliud non minùs triste exemplum, quod in vrbe nostra Bremensì obseruauì. Fabro enim ferrario peste extincto, qui huius hæres erat eiusdem artificij, relictæ Spartæ nimiùm auidus, eheu vnà cum suppellectili morbũ quoque mortemq; simul domi suæ intulit. Nam cum inter reliqua vas esset ad balnei vsum, more patriæ paratum, in hoc ipse cum quinque domesticis lauit, & prima nocte omnes sunt lue pestilentiali infecti, & enecati. Notabiles certè historiæ, quibus etsi haud facilè pares inuenias, tamen quod ipse vidi, Venetiarum vrbe[m] amplissimam tantùm vtenfilibus & vestimentis quibusdam, quæ clam istuc Iustinopoli aduecta fuerat, vniuersam ferè infectam fuisse, tacere non possum: quamuis ob summam Magistratus prudentiam, & indefes-

sam

sam omnium ordinum curam Dei præsidio sub-  
 nixam, nec diu durauerit, nec multos abstule-  
 rit. Simile ferè contigit ante paucos annos in  
 vicino nobis Comitatu Hoyensi, vt muliebri  
 veste illata in quodam pago ex vrbe, quæ tunc  
 peste affligebatur, Hamburgo, breuissimo tem-  
 poris spatio quinquaginta è medio tollerentur:  
 ac nisi statim per Dei gratiam industria & pru-  
 dentia præfectorum fuisset sopita, haud dubiè  
 proserpsisset latius, præsertim ob miserorū ru-  
 sticorum temeritatem & consilij inopiam. His  
 possem addere, si tamè non propter rei enormi-  
 tatem supprimenda potiùs, quàm historiæ inse-  
 renda ac diuulganda quis putet, quæ in vrbe Pa-  
 tauina ipse vidi, nempe rebus quibusdam pesti-  
 lenti aere infectis, partim clàm in alienas sanasq;  
 ædes proiectis, partim infantibus dono datis,  
 cōtagium mirificè fuisse amplificatū. Quo facto  
 adhuc nefandius est, quod mihi hæc ipsa scribē-  
 ti, de quadam celebri Germaniæ ciuitate relatū  
 est, fuisse videlicet ibidem aliquot vespillones &  
 pollinctores, qui aut pretio à quibusdam condu-  
 cti, aut sua immani auaritia, vt commodum fa-  
 cerent ex aliorum incommodis, publicas cister-  
 nas collecto ex pestiferorum apostematis viru-  
 lento pure infecerunt. O crudele, nefariū & post  
 hominum memoriam inauditum facinus! Im-  
 piæ veneficæ, quæ vulgò striges appellantur,  
 grauem quidem pœnam merentur, etsi multis  
 in locis nimis temerè, & nonnunquam ille-

glitimè (liceat mihi id hoc loco obiter dicere, satis enim hanc causam hodie viri eruditi disceptarunt) tractari consueverunt, frigidâ, aut potius focum vndique suffundente Molocho, qui talibus holocaustis delectari solet: verùm an ille pestiferi venefici minore pœna digna tibi videbuntur?

Quare cùm iam intelleximus, quantum ad præseruandam Rempublicam momenti habeat, & quàm necessarium ἀλεξιφάρμακον sit, vt ne temerè admittamus vel homines, vel res cuiuscunque generis, quæ veniunt è locis funestatis, idque magis (si Cardano credimus) quàm illa loca Orientaliora fuerint (solet enim pestis, vt reliqua, quasi motu cæli diurno, ab Oriente in Occidentem (inquit) procedere) cùm, inquam, hæc ita se habeât, eiusmodi cautio est adhibenda conseruatoribus nostris, vt constitutis institutisque portarum custodibus, nullum peregrinum recipiant, neque res vllas inferri permittant, nisi habeant testimonium aliquod scriptum, signatumve integritatis fide dignum. Idem quoque in ciuibus obseruandum, si fortè (vt facere solent, qui rei, quàm valetudinis maiorem habent rationem: per mare enim, per terras currit mercator ad Indos, pauperiem fugiens) peregrè domum redeant, & è locis suspectis veniant. Tametsi enim neque hæc satis aliquando ad præcauendum erunt, dum homines temerarij & obstrepere vel fallere interdum ianitores,

*De rerum  
Variet. 15.  
cap. 73.*

*Scribon.  
Larg. de cō  
pos. med. in  
præfat.*

nitores, vel apertè huic constitutioni, tanquam inusitatæ seruituti repugnare conabūtur: multi tamen reddentur circūspectiores qui boni sunt, cogitabūntque, non perpetuas, sed temporarias esse leges nostras, quæ ipsorum quoque salutis gratia sūt institutæ, tantòque minùs diu duraturas, quantò citiùs & maturiùs venienti malo occurrerint, & diligentius auerterint. In communi enim aduersitate omnes operam suam accommodare, & plus quàm priuatam causam curare decet.

Quod si verò aliquis contra charitatem fore <sup>Hippoc. i</sup> opinabitur, quòd excludendos sentiam homi- <sup>aph i</sup> nes ac fratres nostros, quorum plerique velut <sup>Rom. 12.</sup> ab hoste lethali, ad nos, tanquam ad asylum cōfugiant: huic ita responsum sit, neminem me velle desertum vel opem nostra prorsus destitutū esse, sed auxiliij tamen præstandi ratio & ordo constare debet. Vera charitas à se ipsa incipit, sed in se vna non desinit. Quin potiùs expandit se quousq; potest, ad quemuis proximū, & cuiq; pro viribus opem suā impartitur, & quod Ambrosius de liberalitate ait, fide, causa, loco, tempore commendatur. Quæ enim hæc charitas fuerit, vnā morbidam ouem in ouile admittere, & vniuerso gregi affricare scabiem? Si charitas virtus est (vt est proculdubio summa & diuina virtus) non potest carere prudentia, quæ veram virtutem quasi informat, dum necessa-

riis circumstantiis, vt ex Ambrosio constat, quibus vnaquæque absoluitur, intenta est. Et finem terminum non habet charitas, & vt dici solet, verus amor finem nescit habere suum: tamen non ducetur temeritate, & quod modò dixi, non carebit prudentia. Qua autem ratione & quo ordine hoc charitatis officium administrandum putem, in sequentibus dicetur copiosius. Hic igitur libri primi finis esto.



DE

